

518 *Lib. IV. Cap. III.*
esse corruptibile, non attenditur, quod prædicatum competat omni subjecto & semper secundum rem, sed saltem secundum opinionem, est ergo de Omni dialecticum: De omni autem sophisticum est, quando prædicatum omni subjecto & semper competit tantum apparenter, Ab hisce duobus posterioribus igitur distinguitur de Omni posterioristica, quod in eo prædicatum non competat subjecto secundum opinionem aut saltem apparenter, sed secundum rem & veritatem. Vide plura apud Boetium *Comma. in lib. 1. post. c. 4.*

8. Sequitur secundus gradus necessitatis priori major, nempe 10 per se, seu quod apodictica propositio debet esse per se.

9. Quia autem per se ambigè dicitur, ideo Aristoteles *lib. 1. post. 4. t. 30.* ambiguitatem evolvit, & quatuor modos per se adducit.

10. Primo igitur Aristoteles ait. Per se voco, quaecunque insunt in attributione declarante quid est, ut triangulo inest linea, & lineæ punctum, *l. c. t. 30. 2.* juxta Aristotelem *d. l.* per se esse dicuntur ea, quæ attributis suis insunt in oratione declarante quid sit, ut rectum & curvum inest lineæ, par & impar numero, atque his omnibus inest in oratione quid sit dicente, his quidem lineæ, his vero numerus.

Hicce